



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. IX. Fundamentis prioris sententiæ satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Et natura lapsæ, seu ex rebellione concupiscentiæ, & alijs difficultatibus, quæ ad corpus corruptibile consequuntur: in his autem actibus non est huiusmodi, sed per se est necessaria gratia, quia liberū arbitrium creatum per se est impotens ad hos actus, & ita necessitas gratiæ fundatur in intrinseca substantia, & natura talium actuum. Ideoq; inuenitur in omni statu, & in omni natura creata, ut ex dictis satis constat.

Secundo infertur, gratiam requiri ad hos actus ut principium per se, & physicum illorum, in quo etiam est magna differentia inter hos actus, & naturales. Nam ad naturales gratia solum iuvat moraliter, illuminando intellectum, & excitando affectum, & tollendo impedimenta; ad hos autem actus maius adiutorium necessarium est. Ratio autem est clara ex dictis, quia ad actus naturales habent potentiæ efficientes vires physicas, ad hos autem actus minime, & ideo indigent superiori principio eleuante illas, & dante vires ad eos eliciendos, etiam per se, & physice. Vnde necesse est, ut ad hos actus Deus per se concurrat, non tantum ut prima causa agens ut concursus generalem, sed etiam ut causa particularis, & principalis, vel immediate, vel saltem infundendo aliquod principium proximum per se, & physicum talium actuum simul cum intellectu, vel voluntate, ut infra tractando de auxiliis latius dicitur. Per hoc autem non excluditur concursus etiam Dei ut primæ causæ ordinis etiam supernaturalis, quia hic semper est necessarius propter dependentiam essentialem omnis entitatis creatæ à Deo, ut dicitur libro quinto. Denique non etiam excluduntur morales concursus gratiæ per illuminationem, & inspirationem supernaturalis ordinis, nam hic modus adiutorij gratiæ necessarius est, ut desinunt Concilia, & fundatur etiam in supernaturali substantia talium actuum, quia non potest intellectus noster, aut voluntas ad illos conari, nisi per huiusmodi auxilia diuina excitetur, ut tradunt Concilia, præsertim Concilium Trident. sessione sexta, canon 3. & inferius tractando de auxilijs latius explicandum est. An vero gratia habitualis semper debeat præcedere saltem ordine nature ad huiusmodi actus, postea disputabitur. Nunc quod ad fidei actum pertinet, certum est, gratiam habitualement sanctificantem non esse necessariam, quia fidei actus potest esse in peccatore, de habitu autem fidei simul cum alijs, infra suo loco generaliter dicendum.

8. Tandem ex hac solutione colligimus, non posse eundem actum numero esse acquisitum, & infusum, vel simul, vel successiue, cuius oppositum sentiunt omnes fere authores, qui putant, actum infusum esse naturalem quoad substantiam, præsertim Gabriel, & Ockamus. Qui loquentes de actu fidei dicunt eundem actum simul esse fidei infusæ, & acquisitæ, eumq; prius esse posse solius fidei acquisitæ, seu mere naturalem, & non infusum. Loquunturque consequenter, quia potest esse substantia actus sine modo accidentali, vnde fit etiam, ut possit esse simul naturalis, & infusus, quia potest habere substantiam cum modo: non tamen dicere possunt, dari actum pure infusum, quia non potest esse modus accidentalis sine substantia, & aperte Gabr. explicat, non posse esse fidem infusam sine acquisita. Eademque sententia sumitur ex Scoto, & Caietano loquente de contritione. At in nostra sententia hoc vltimum non solum contingere potest, sed etiam est necessarium in actibus per se infusis, nam in illis substantia eorum, & prima, ac essentialis species est supernaturalis, & ideo omnis etiam modus, qui ad illam sequitur, est supernaturalis, & ita totus est tantum supernaturalis. Duo autem prima sunt possibilia, ut in corollario diximus. De primo patet, quia non potest eadem entitas simul esse in duabus speciebus substantialibus, sed fides acquisita essentialiter est in tali specie entis pertinentis ad ordinem nature, fides autem infusa essentialiter est in altiori specie, & ordine rerum; ergo non potest simul idem actus numero quoad entitatem simul esse in vtraque specie. Vnde fingi non potest, quod intellectus simul, & vno actu assentiatur eidem veritati ex motu fidei infusæ, & acquisitæ, quia non potest idem actus accipere ex illis motibus duas species æque primas, quia hoc repugnat, ut dictum est, nec vnā essentialē, & alteram accidentalem, tum quia non est maior ratio de vna quam de altera, tum etiam quia vtrumque motuum sufficit constituere suam speciem entis.

Et eadem ratione non possunt quasi coniungi simul ad dandam vnā speciem actui, quia sunt obiecta primo diuersa, & distincti ordinis, & non coniunguntur ad constituendum vnū formale obiectum, à quo possit vnā species actus sumi. Nec etiam potest vnā simplex entitas simul esse naturalis, & supernaturalis in specie substantiali. Vel ergo illa species est naturalis, & sic supernaturale motuum, ut tale est, nihil illi confert, vel est supernaturalis, & tunc naturale motuum illam non attingit, nec supernaturalis fides à tali motu potest per se pendere; nullo ergo modo potest simul idem actus esse in vtraque specie acquisitæ, & infusæ fidei, seu virtutis. Et eadem ratione nec successiue potest id contingere in actibus per se infusis, quia mutata specie essentiali, & substantiali, mutatur tota entitas actus. Item quia si idem actus posset transire à naturali in supernaturalem, vel e contra, oporteret aliquam entitatem subterni vtrique rationi; ergo illæ rationes essent accidentales actui, quod est contra hypothesin, qua statimus, actus per se infusus substantialiter esse supernaturales. Et præterea de illa entitate substrata inquiremus, in qua specie sit, & vnde illamumat, seu ex quo obiecto, & an sit naturalis, vel supernaturalis, nihil enim in his omnibus potest dici probabiliter: est ergo impossibilis talis entitas actus, quæ successiue fiat naturalis, & per se infusa.

CAPVT IX.

Fundamenti prioris sententiæ satis fit.

Superest, ut argumentis prioris sententiæ in cap. 4. à num. 11. positus respondeamus. Primum erat, quia repugnat, actum esse vitalem, & esse quoad substantiam supernaturalem. De quo puncto multa dixi in 1. p. tract. 2. lib. 2. c. 8. tractando de visione. De qua dubitari non potest, quin sit actus quoad substantiam supernaturalem: hoc enim nec illi Theologi, qui de actibus viæ aliter sentiunt, negare ausi sunt, ut supra ex Durand. retuli, & videre licet in Caietano. 2. 2. q. 171. art. 1. ad 3. & Soto in 4. d. 49. q. 2. art. 2. concl. 5. & communis sententia Theologorum docet, visionem illam ita esse in se supernaturalem, ut nulli intellectui creato possit esse connaturalis. Et nihilominus visio illa actus vitalis est, cum constituat beatum videntem, & cum in illa consistat vita æterna, iuxta verbum Christi. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. Non ergo repugnat actui vitali esse in substantia supernaturalem. Vnde etiam non repugnat, huiusmodi actum elici à potentia vitali: nam etiam illa visio ab intellectu elicitur, ut contra Durandum, & nonnullos alios cum D. Thoma, & alijs grauioribus Theologis eodem loco docui, quia influxus actiuius potentiæ vitalis est de intrinseca ratione actus vitalis, ut vitalis est, & omnino necessarius, ut formalem effectum suum tribuat potentiæ vitali. Sicut ergo in illa visione possunt illa duo coniungi, ita etiam poterunt in actu fidei, vel amoris viæ. Idemq; argumentum fieri potest de actu prophetiæ, de quo D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. dixit, esse supernaturalem quoad substantiam, manifestum tamen est,

KK est,

Pars I.

est, esse actum vitalem. Idemque est de actu scientiæ infusæ animæ Christi, nam ab illo vitaliter habet, licet esset alterius rationis à scientia acquisita, ac subinde in sua entitate supernaturalis respectu animæ Christi, vt suppono ex doctrina D. Thomæ 3. p. q. 9. art. 2. & 3. præsertim ad 2. & 3. iuncta tota. q. 11.

2.
Data solutio
tionis ratio.

Ratio vero est, quia nulla est implicatio contradictionis, quod potentia naturalis eleuetur ad agendum ultra vires suas naturales diuina virtute, & seruato modo agendi, quem ratio vitalis actus requirit; ita vt quamuis supernaturaliter agat, nihilominus in intrinseco modo agendi seruetur proportio iuxta naturalem conditionem talis potentie. Siue potentia nostra habeant inchoatam virtutem naturalem ad influendum in hos actus per modum principij proximi principalis, saltem partialis, siue influat per potentiam obedientialem per modum instrumenti à Deo eleuati, de quibus modis aliqua in citato loco dixi, & plura in tomo primo, 3. partis disp. 31. sect. 6. ad 4. & alia dicam inferius tractando de habituali gratia. Nunc vero satis est, quod tam priori, quam posteriori modo possit elici actus vitalis, nihil enim repugnat vitaliter influere, & instrumentaliter, quia potest facultas eleuari iuxta modum agendi naturæ illius proportionatum. Neque oppositum aliqua ratione in argumento probatur, vel ex ratione actus vitalis inferri potest, quia licet potentia vt instrumentum eleuetur, semper agit vt principium internum, & immanens, seu intra se agens cum capacitate, vt in se recipiat formalem effectum talis actus, qui vitalis est.

3.
Ad incommo-
dum in
eodem argu-
mentum.

Quod vero in eodem argumento tanquam in conueniens inferebatur, quod virtutes infusæ non essent habitus, sed potentie, nullus est momenti, nam, vt infra dicemus, nec sunt puri habitus, nec pure potentie, sed vtamque rationem eminenti modo participant. Sunc enim habitus, quatenus supponunt potentiam, quæ est proximum principium operationis, & illam informant, & ad operandum adiuvant, nec possunt sine illius influxu operari: sunt vero potentie aliquo modo, quatenus non dant solam facilitatem operandi, sicut puri habitus, sed etiam dant, vel complent potestatem. Non possunt autem dici simpliciter potentie, quia non sunt totum principium proximum agendi, quia necesse est, vt ipsæ potentie animæ immediate influant in actum, alioqui actio non esset vitalis. Vocantur autem simpliciter habitus, vt distinguantur à proprijs potentijs, quibus superadduntur, & quia sine potentijs nihil agere possunt; potentie autem absolute agere possunt sine tali habitu, si Deus per aliquod auxilium vicem eius suppleat, vt lib. 4. la ius dicemus.

4.
Ex data so-
lutione con-
firmatur ve-
ra sententia

Et ex solutione huius argumenti potest confirmari nostra sententia: nam actus supernaturales, qui à nobis in via postulantur, sunt dispositiones ad ultimam, & consummatam perfectionem animæ, & quasi motus quidam ad vltimum terminum, qui in visione beata consistit. At visio beata in substantia, & entitate sua est ordinis diuini, & supernaturalis, vt dictum est: ergo etiam actus supernaturales viæ per se ordinati ad illum terminum, esse debent eiusdem ordinis cum illo, ac proinde quoad substantiam supernaturales. Probatur consequentia, quia media debent esse proportionata fini, & dispositiones formæ. Quia ratione solent Theologi probare, habitus infusos esse in se supernaturales, vt videri potest in Durando in 3. d. 23. q. 5. & nu. 5. q. 6. n. 8. multo autem magis procedit de actibus, quia per illos immediatius, & quodam modo perfectius ordinamur ad beatitudinem supernaturalem, & ad comparandum Dei gratiam, quam per habitus. Eo vel maxime, quod vt supra dicebamus, habitus sunt propter actus, & per illos ordinant, & ducunt hominem ad finem supernaturalem; ergo si illi infunduntur supernaturales, vt proportionentur fini, actus etiam esse debent simili mo-

do supernaturales, quia etiam ipse finis magis in actu, quam in habitu consistit, & potest simul esse supernaturalis, & vitalis: idem ergo de actibus viæ censendum est.

Supereft respondendum ad aliam conditionem libertatis, quæ videtur repugnare cum supernaturalitate actus quoad substantiam, in qua secundum argumentum fundabatur. Et in primis contra hoc sumere possumus argumentum ex actu charitatis patriæ, qui eiusdem substantiæ, & speciei est cum actu charitatis viæ, iuxta magis probabilis, & receptam sententiam, & consentaneam verbis Pauli. i. ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Idem ergo charitatis actus, qui in patriâ est supernaturalis, & necessarius, potest in viâ esse supernaturalis, & liber; ergo libertas non repugnat cum supernaturalitate actus. Accedit, quod si ratio illa aliquid valeret, non solum probaret, actum non posse esse supernaturalem quoad substantiam, verum et, nec quoad modum intrinsecum, qui à voluntate vt libera pendeat, & fiat, ac proinde actum non esse supernaturalem per aliquid liberum, & elicatum à nobis, sed per modum extrinsecum, vel à solo Deo additum, quod absurdissimum est, vt ostendimus; ergo in omni sententia probabilis necessarium est conteri, actum supernaturalem moralem, & humanum esse liberum etiam quoad esse supernaturale talis actus, quidquid illud sit. Hoc ergo nos dicimus de substantia actus, etiam si supernaturalis sit. Ratio vero eadem fere est, quæ de actu vitali, quia Deus eleuat vnquamque potestatem modo illi accommodato. Et declarari potest, quia libertas consistit in potestate agendi, & non agendi, vel et in potestate agendi vnum aut oppositum eius. In his vero actibus, licet voluntas non habeat potestatem agendi illos nisi eleuata, nihilominus de se habet potestatem non efficiendi illos, vel efficiendi alios dissimiles, & repugnantes, Deus autem ita mouet, & eleuat potentiam ad agendos hos actus supernaturales, vt non auferat innatam potestatem ad non agendum illos, vel ad efficiendum repugnantes, ideoque non obstante eleuatione manet integra libertas, & dominium voluntatis circa influxum, quem præbet ad huiusmodi actus, vt latius inferius dicemus tractando de habitibus, & de auxilijs, & concursu eorum cum libero arbitrio.

Ad tertium ex probationibus assertionis patet responsio. Duo enim principia in illo argumento sumuntur, vnum est, possibile esse, actum esse naturalem quoad substantiam, & supernaturalem quoad modum, aliud est, hoc sufficere ad veritatem omnium conclusionum Conciliorum, & patrum de necessitate gratiæ ad hos actus efficiendos. Primum autem ex his principijs distinguendum est: nam potest intelligi, vel de modo solum in fieri, vel de modo addito actui in facto esse: priori modo faciemur, posse actum naturalem esse supernaturalem quoad modum, i. e. posse supernaturaliter fieri, sicut potest habitus naturalis fieri modo supernaturali, i. e. per infusionem, quamuis in termino, seu in facto esse nullum modum supernaturalem recipiat. Si ergo prior illa propositio de hoc modo intelligatur, sic negatur aliud principium: nam hic modus non sufficit ad omnia, quæ de his actibus Scriptura, & Concilia docent, explicanda, vt late probatum est, quia cum Scriptura, & Concilia docent, Deum infundere fidem, charitatem, & c. præcipue loquuntur de actibus, & licet intelligantur de habitibus, consequenter etiam comprehenduntur actus, propter quos dantur habitus. Dum autem dicuntur *infundi*, intellectum à Theologis, & ab vniuersa Ecclesia est, illum esse modum productionis connaturalem, & necessarium in his actibus, & habitibus propter eorum excellentiam, & perfectionem, & ideo dici solent per se, & non tantum per accidens infusi. Igitur non sunt supernaturales propter solum modum, quo fiunt, sed potius, quia ipsi supernaturales sunt, ideo supernaturali modo fiunt.

Sign.

7. Si autem prior propositio intelligatur de modo addito actui in termino, & in facto esse, iterum subdistingui potest iuxta superius tractata. Nam vel est sermo de modo extrinseco, quem moralem vocare possumus, cum re vera solum consistat in aliqua extrinseca denominatione, seu relatione rationis, vel de modo intrinseco, & physico, atq; in re ipsa addito, & coniuncto actui. In priori sensu gratis damus, posse actum naturalem aliquo modo supernaturali extrinsece affici, seu denominari. In hoc vero sensu negamus posteriorem propositionem, quia hic modus non sufficit ad propriam excellentiam horum actuum, quam Ecclesia docet, & Scriptura satis indicat, ut longo discursu probatum est. Et præcipue quia vel ad illum modum non essent necessaria auxilia gratiæ, quæ vires præbeant ad agendum, quia illa denominatio non fit ab ipso homine operante: vel si contingat, vnum actum naturalem voluntatis imperari, vel referri, & consequenter denominari ab alio actu supernaturali eiusdem voluntatis, tunc supernaturalitas tota est in actu imperante seu denominante, & ad illum sunt per se necessariae supernaturales vires, & auxilia, ideoque esse supernaturale illius non potest in sola denominatione extrinseca consistere.

8. In posteriori autem sensu de modo intrinseco, & reali, negamus illam priorem propositionem, non enim potest intelligi modus intrinsecus, & realis, & supernaturalis accidentaliter adiunctus actui naturali, ratione cuius vires gratiæ postulentur, & qui ad salutem sit necessarius, quod etiam late probatum est, quia modus maioris intensiois, vel alius similis, si fortasse cogitetur, & siue possibilis sit, siue non sit, certum est ad salutem non requiri, & ideo propter illum vires gratiæ non requiri. Necessæ est ergo, ut propter substantiam talium actuum virtus gratiæ necessaria sit, & hoc est esse supernaturales quoad substantiam. Et ideo etiam non sufficit modus maioris facilitatis, aut promptitudinis, vel similis, quia & omnes isti, vel consistunt tantum in fieri, vel sunt extrinseci, & quod caput est, Concilia expresse declarant, gratiam non tantum propter talem modum esse necessariam. Et ita facile responderi potest ad exempla de modis supernaturalibus vnionis hypostaticæ, vel Christi, & accidentium in Eucharistia, nam illi iuxta modum entitatis, quam habent, sunt in sua substantia supernaturales, & adduntur rebus naturalibus ex speciali operatione, & institutione diuina. Ad aliam vero partem, qua probatur, obiectum fidei esse naturale, & viribus naturæ accommodatum; respondemus, negando assumptum. Nam omnia illa, quæ in argumento adducuntur, solum probant de propositione, & applicatione illius obiecti, quæ sit modo naturali, quamuis non sine directione Spiritus Sancti interius mentem gubernantis. Sub illa vero propositione applicantur motiua credendi, & volendi credere omnino supernaturalia, ut dictum est, & in cap. 10. magis explicabitur.

CAPVT X.

Vtrum possit homo assentiri mysterijs supernaturalibus reuelatis à Deo, aliquo naturali assensu sine auxilio speciali gratiæ?

1. Ratio pro utraque parte.
Ratio pro utraque parte.
Ratio pro utraque parte.

Pelagij fuit, sufficienter propositis mysterijs fidei, factisq; credibilibus per Euangelicam prædicationem, hominem sua libertate posse illis assentiri sine speciali auxilio gratiæ. Quem errorem Aug. sepiissime detestatur, epist. 106. & lib. 3. de Doct. Christ. c. 33. & lib. de Grat. Christi. Imo cum ipse aliquando in eo errore fuisset, illum retractauit lib. 1. retract. c. 23. & latius lib. de Prædest. Sanct. c. 3. ergo ad hunc errorem pertinet, quamcunq; fidem naturalem supernaturalium mysteriorum admittere, ad quam gratia reuelationis necessaria sit, & nulla alia. Quod si quis dicat, Pelagium fuisse loquutum de fide perfecta, fidem vero acquisitam fore semper imperfectam, & ideo licet concedatur naturæ absque auxilio gratiæ, non pertinere ad errorem Pelagij.

Contra hoc innuitur tertio, quia Semipelagiani ita distinxerunt fidem imperfectam, & perfectam, & dixerunt imperfectam esse ex nobis, perfectam vero ex gratia, ut constat ex supra dictis Proleg. 5. explicando sententiam Calsiani, & Fausti. Et nihilominus illa etiam sententia damnata est, eo quod diceret, fidem imperfectam esse ex nobis, & illam ex professo impugnari August. toto lib. de Prædest. Sanct. ut alia loca omittam, & Prosper, ac Hilarius in epist. ad Augustinum eundem notant errorem, eumq; impugnat Prosper toto lib. contra Collat. & alijs locis sæpe citatis, & Fulgentius de Incarnat. & grat. cap. 17. & sequen. ergo admitti non potest illa fides naturalis, quantumuis imperfecta istorum mysteriorum. Ac tandem argumentor quarto, deducendo ad errorem Malsiliensium, nam si homo posset aliquam fidem adhibere mysterijs reuelatis à Deo, per illam fidem mereretur fidei augmentum, & perfectionem, & sic nulla fides esset donum gratiæ, non quidem prior, siue imperfecta, quia sit sine auxilio gratiæ, nec etiam posterior, id est perfecta, quia datur ex merito prioris fidei, & sic iam non est gratia. Consequens autem est contra dicta in cap. 2. & 3. & contra definitionem Conc. Arausiaci, & Trid. ergo. Sequela probatur ex sententia August. lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. dicentis, *Quis dicat, eum, qui iam cepit credere, ab illo, in quem credit, nihil mereri?* Item quia ille facit, quod in se est circa sibi reuelata: ergo meretur iuuari à Deo, ut fidem, sicut oportet, perficiat.

In hoc puncto aliquid est inter Theologos communiter receptum, & aliquid in controuersiam nunc à Modernis vertitur. Primum est, circa mysteria fidei reuelata posse dari aliquem assensum fidei acquisitæ solis naturæ viribus: & consequenter posse esse aliquam voluntatem credendi illi fidei proportionatam, ac subinde acquisitam, & elicitam sine speciali auxilio gratiæ. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 3. & ibi omnes expositores. Theologi etiam antiqui superiori capite allegati tam illi, qui putant, actum fidei Christianæ esse naturalem quoad substantiam, ut Capr. in 3. d. 24. q. vnic. ad argumenta Scoti contr. secundam concl. Item Scotus, Gabr. Durand. Almain. & alij in 3. d. 23. Caiet. 1. 2. q. 109. art. 1. & 4. Soto lib. 2. de Nat. & grat. c. 8. 14. & alijs locis sæpe allegatis, quam illi, qui tenent fidem infusam esse assensum supernaturalem quoad substantiam, ut Alenf. Ricard. atq; etiam D. Thomas, & idem docent Moderni Medin. & alij supra allegati, & Bannez. 2. 2. q. 5. art. 2. & q. 6. art. 1. & Azor. tom. 1. lib. 3. c. 24. q. 2. & optime Bellar. lib. 6. de Grat. & lib. arbitr. cap. 3. in generali responsione ad obiectiones.

Potestque hoc probari primo ex illo Iacob. *Demoniis credunt, & contremiscunt*, constat enim, demoniorum fidem non haberi viribus gratiæ, quæ illis non dantur. Verum est, illam fidem non voluntariam esse, sed necessariam, ac subinde procedere ex aliquibus principijs euidentijs partim ex naturali lumine, partim experientia, quæ reducitur ad euidentijs in attestante, quam posse habere Angelos de rebus fidei, communis opinio fert, quamuis quæstio fere de nomine